



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Synodus Osnabrugensis, ejusdem Episcopi quinta, celebrata XIV Martii
MDCLI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

D I O E C E S A N A
S Y N O D V S
O S N A B R V G E N S I S
Q V I N T A,

P R Æ S I D E N T E

Reverendissimo & Illustrissimo Principe
ac Domino,

D. F R A N C I S C O
G V I L I E L M O,

EPISCOPO ECCLESIAE OSNABRUGENSIS,
NEC NON RATISBONENSIS,
MINDENSIS, AC VERDENSIS,

Comite de Wartenberg & Schaumburg, Domino in Wald
& Hachenburg,

C E L E B R A T A

Anno Domini M D C L I, Feria I I I post Dominicam Oculi,
quæ fuit dies X I V Martii.

O R D O

ORDO ET CÆRIMONIÆ SYNODI.



Cum cura Pastoralis omnes summa sollicitudinis partes ab iis deposcat, quos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, eorumque hereditas non nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi posita sit; Reverendissimus ac Illustrissimus Princeps ac Dominus, D. FRANCISCVS GVILIELMVS, Episcopus Os nabrugensis, &c. in functione muneris huius, quod, viginti sex ab hinc annis, magnum ac multiplex in hoc Episcopatu suo Os nabrugensi sustinuit, summo semper studio, vigiliisque maximis, perennique diligentia in hoc elaboravit, ut nihil, quantum per vires nature licuit, vel ab Illustrissima Sua Celsitudine, vel aliis etiam Clericis, cooperatoribus suis, partim errore aut ignorantia, partim etiam socordia aut negligentia, committatur, quod domui Dei ac pascendis Christi ovibus impedimento detrimentoque esse possit. Quæ causa est, quod præfatus Episcopus Os nabrugensis, Dominus Franciscus Guilielmus, Synodum Diocesanam majorem Os nabrugensi habendam indixerit, die decimâ quartâ mensis Martii, anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo primo, in hæc verba:

CITATIO AD SYNODVM.

SECUNDUM antiquissimam consuetudinem huius Ecclesiæ Os nabrugensis, Reverendissimus & Illustrissimus Princeps ac Dominus, D. Franciscus Guilielmus, Episcopus Os nabrugensis, &c. feriâ tertîâ post Dominicam Oculi, quæ incidit in diem XIV mensis Martii, MDCCLI, celebrabit in Cathedrali hæc suâ Synodum Diocesanam; ad quam, ex mandato Illustrissimæ Suae Celsitudinis, comparebunt omnes & singuli, qui de jure vel consuetudine eidem interesse tenentur. Sistant autem se pridie apud Illustrissimam Suam Celsitudinem Os nabrugensi, ut ejus mentem ac mandata ulterius intelligant. Signatum Iburgi, die vigesimâ quintâ Februarii, anno Christi MDCCLI, Episcopus Os nabrugensis vigesimo sexto.

Feriâ secundâ post Dominicam Oculi, pridie Synodi indictæ, die decimâ tertîâ Martii, ad horam tertiam pomeridianam, præsidente Illustrissimo & Reverendissimo Domino Episcopo, comparuerunt in Residentia Illustrissimæ Suae Celsitudinis, in loco ad id specialiter deputato, omnes ex Clero, ad Synodum evocati. Et, posteaquam singuli nomina sua edidissent, absenteque, per viciniores consacerdotes, aut Deanos rurales, ad hoc specialiter

rogatos, vel scriptis vel oretenus excusati essent; sequentia puncta, sedulo diligenterque observanda, huius Synodi tempore proposita fuerunt.

TABELLA DISCIPLINÆ SYNODALIS.

- I. Clerus, ad Synodum convocatus, secum cogitet, quas ob causas hæc actio anniversaria celebretur.
- II. Omnes vos diligenter ad sacram Communionem præparate.
- III. Assidue, castè, pureque preces Deo adhibete.
- IV. Ad rei, cujus causa convenistis, gravitatem intenti, totâ animi cogitatione in eam incumbite.
- V. Ad cauponas ne divertite.
- VI. Nolite per plateas vagari, aut, præ curiositate, hac atque illac circumcurfare.
- VII. Ad Synodalem sessionem, statâ horâ indictâ, sollicitè convenite.
- VIII. Nec verò raptim, sed gravi incessu.
- IX. Vbi convenistis loco constituto, superpellicea munda ac decentia, aut alias vestes, pro Ecclesiastici beneficii ratione, induite.
- X. Decenter induti, ad statum sessionalem locum, non turbulenter sed quietè, accedite.
- XI. Bini, quoad ejus fieri potest, convenite.
- XII. Ordine confidite.
- XIII. Mane, priusquam conveniatis, cibum ne capite, sed jejuni adeste.
- XIV. Iejunium, quod in Ecclesiasticis his actionibus olim institutum fuit, ut servetis, hoc valde hortamur in Domino.
- XV. In loco autem benedictionis, quod est templum Dei, confidentes, ne vocibus obstrepite.
- XVI. Non tumultibus rem Synodalem perturbate.
- XVII. Non confabulationibus operam date.
- XVIII. Non è cancellis, intra quorum fines sessio Diocesana habetur, exite, nisi absolutâ sessione, aut necessaria de causa.
- XIX. Cum autem exire necesse habetis, facultatem à Vicario generali petite. reversi, ad eundem venite, antequam designato loco confideatis.
- XX. Sessione de more absolutâ, non raptim turbulenter discedite, sed graviter decoroque incessu.
- XXI. Hæc omnia servate.

XXII. Cave-

XXII. Cavete denique, quæcumq; & Ecclesiasticæ disciplinæ, & Synodalis actionis dignitati, & loci venerationi, minimè conveniunt.

XXIII. Si quæ gravamina habetis, in scripto edite.

Hoc eodem pomeridiano tempore, ab horâ quartâ usque ad quintam, per totam Civitatem Osnabrugensem, in Ecclesiis Catholicorum, solemnè ritu campanæ pulsatæ fuerunt; & ipsâ die Synodi subsequenti, ab horâ quintâ matutinâ usque ad sextam; quoad usque nimirum Reverendissimus & Illustrissimus cum toto Clero (ut mox dicitur,) Ecclesiam suam Cathedralè ingressus.

Horæ diurnæ, totumque Officium divinum, hoc Synodi tempore, decimâ quartâ scilicet & decimâ quintâ Martii, matutinus solio, in puncto nimirum quartæ, inchoatum fuit, tam in Cathedrali, quam aliis Ecclesiis; adeo ut ante sextam matutinam tam Sacrum conventuale, quam etiam Horæ Canonice, ad Nonam usque exclusivè finitæ fuerint. In Cathedrali, propter Officium divinum valde longum, Matutinum decantarunt ab horâ quartâ pomeridiana pridie Synodi; Vesperæ ipso die Synodali privatim in Choro per solutæ fuerunt; cum, post horam duodecimam diei, prima Synodi Sessio finem primum habuerit.

SESSIO PRIMA.

Die itaque decimâ quartâ mensis Martii, horâ sextâ matutinâ, ad prædictam solemnem campanarum compulsationem, convenit totus Clerus, tam Regularis, quam secularis, in Ecclesia Cathedrali Osnabrugensi. Auditâ sextâ, movetur processio per portam minorem Cathedralis Ecclesiæ versus sanctum Paulum, ad adducendum ex Residentia Reverendissimum ac Illustrissimum Principem.

ORDO PROCESSIONIS.

Primum procedunt Scholares. Hos sequuntur Franciscani, Dominicani, Cistercienses, Benedictini, Clerici alumni, Capellani & Vicarii Parochialium Ecclesiarum, Pastores rurales secundum Decanatus divisi, ut in Synodo Osnabrugensi, quæ habita fuit anno millesimo sexcentesimo trigésimo, designati sunt; Vicarii Collegiatæ Ecclesiæ ad sanctum Joannem, Vicarii Cathedralis Ecclesiæ, Decani rurales, deputati Monasteriorum tam virorum quam feminarum, Capitulum SS. Ægidii & Caroli in Widenbrug, Capitulum sancti Alexandri in Wildeshufen, Capitulum sancti Joannis Osnaburgi, Prælati ex Clarholt, Abbas Iburgensis, & denique Capitulum Cathedrale, quod Illustrissimus, ubi ad Residentiam suæ Celitudinis pervenerat, aulicis suis stipatus, immediate secutus est.

Ut primum Illustrissimus Ecclesiam ingressus, depositâ mozettâ, assumpsit cappam Episcopalem; Dominus Præpositus à Leeraat, eidem de more aspersorium porrexit; quo se & alios aspergens, statim per navim Ecclesiæ ad genusflexorium, ante altare sanctæ Crucis, prope Venerabile Sacramentum, præparatum, perrexit, & in eo, toto Clero subsistente, parumper genusflexus oravit. Finita oratione, Illustrissimus surrexit; Clerus regularis remansit ante Chororum, in duo latera in navim Ecclesiæ divisus; foraneus verò, & qui ex Civitate erat, una cum Prælati & Illustrissimo, ad Chororum ascendit; singuli ad designata sibi loca perre-

xerunt; Cathedrales Canonici (iis exceptis, qui Reverendissimo in sacris ministraturi erant) subsellia Chori superiora, Vicarii vero inferiora occuparunt. E regione throni Episcopalis collocavit se Abbas Iburgensis super nudo genusflexorio, & sedili, ad id præparatis. Pastores & Ecclesiarum Rectores, Canonici Collegiarum extra urbem, Vicarii, Beneficiarij, & Capellani, in spatio inter subsellia Chori intermedio, in certas lineas divisi, se firmarunt.

Interea dum hæc fiunt, continuo ab ingressu Illustrissimi in Ecclesiam, organa & campanæ pulsatæ fuerunt; Reverendissimus ante altare quoque summum genusflexus more solito oravit. Facta oratione, & exhibitâ altari reverentia, comitatus ab assistentibus, ad sedem suam perrexit. In qua cum modico spatio confedisset, organa & campanæ cessarunt. Et mox surgens Reverendissimus, Nonam (prout alias Tertiam) incepit; quam Chorus profectus est. Sub Nona Illustrissimus indutus est solitis paramentis, humerali, amictu, alba, cingulo, cruce pectorali, stola pluviali, ac mitra, & accessum ad Sacrum legit; in fine Nonæ cantavit Collectam, & Nonam finivit. quâ finitâ, deposuit pluviale; & reliquis paramentis omnibus Pontificalibus, uti tunicella, dalmatica, casula, assumptis, cum assistentibus, similiter indutus, Sacrum votivum solenne de Spiritu sancto incepit.

MISSE CELEBRATIO, & Communionis distributio.

Sacrum hac die cantatum est solemniter de Spiritu sancto, absque ulla commemoratione, per Reverendissimum ac Illustrissimum Episcopum. Musica, toto Sacri tempore, solemnè fuit. Clerus à tribus, ad id deputatis, incensatus; factæque Communio ejusdem Cleri, stolis rubris à Sacerdotibus assumptis. Dum igitur altâ voce Diaconus Missæ, post sumptam ab Illustrissimo Communionem, cantavit Confiteor, mox bini accesserunt ad sacram synaxin, servato dignitatis ordine. Benedictio solemnè, à Reverendissimo & Illustrissimo in fine Missæ dari solita, usque ad Synodum, juxta

juxta Cerimoniale Romanum, dilata est. Finito Sacro, Illustrissimus exiit paramenta Missalia, usque ad tunicellam inclusive; accepit pluviale; Canonici Cathedralis, alique ministri assistentes, paramenta sua resinuerunt.

Sic igitur parato Illustrissimo, reversoque ad altare majus, cum ministris assistentibus; Diaconus Missa, stans à dextris Reverendissimi, cantavit versus Clerum, Orate, isdem notis, quibus alias cantatur, Levate. Dato hoc signo, Illustrissimus, super cussino ante faldistorium ex opposito altaris, cum reliquo Clero genuflexus, oravit mente, modico spacio. Tunc, adhuc genuflexus, Illustrissimus, sine mitra, preintonatam inchoavit Antiphonam, Exaudi Domine, ut in Pontificali; choro eandem totam prosequente, qua finita, & Psalmus, Salvum me fac Deus, qui habetur primus in Nocturno feriae quintae, per duos praecentores inchoato, sedit Illustrissimus, accepta mitra, sedente etiam Clero; & totus Psalmus alternatim à Clero decantatus est. Antiphona repetita, surrexerunt omnes; & Illustrissimus, deposita mitra, conversus ad altare, subjunxit orationem, Adsumus, ut in Pontificali; addendo etiam Orationem, ut ibidem. Qua finita, procubuit, accepta mitra, supra faldistorium, aliis omnibus genuflectentibus; & cantores duo in medio Cleri post Illustrissimum cantarunt Litanias de omnibus Sanctis, toto etiam Clero respondente; in quibus dum caneretur, Ut omnibus fidelibus, surrexit Illustrissimus; & Pedum Episcopale sinistra tenens, stans versus Synodum dixit, Ut hanc &c. prout in Pontificali; producens Crucis signum super omnes; & iterum usque ad finem Litaniarum procubuit. Decantatis Litanis, Illustrissimus, deposita mitra stans, stantibus etiam aliis, cantavit, Oremus; Ministri, Flectamus genua, Levate; tum orationem, Da quaesumus. deinde sedens cum mitra, facie versa ad Synodum; imposuit incensum in thuribulum, benedicens more solito, ministrante Presbytero assistente naviculam, ut alias.

Tunc duo Capellani, Diaconalibus & Subdiaconalibus induti vestibus, ut in Missa, benedictione de more accepta, sine missione, una cum Acolythis, candelabra deferentibus, accesserunt ad partem dextram Illustrissimi in cornu Evangelii; loco solito, Diaconus, sustinente librum Subdiacono, cantavit Evangelium, Convocatis Iesus, stantibus omnibus, & Illustrissimo Pedum Episcopale inter manus tenente. Lecto Evangelio, Illustrissimus exosculatus librum Evangeliorum, & à Presbytero assistente de more incensatus est; & mox sine mitra, genuflexus versus altare, toto Clero genuflexo, incepit hymnum, Veni Creator Spiritus, prosequente Clero, post primum versum decantatum, surrexerunt omnes, decantans hymnus alternatim cum organo; & interea processionaliter ad locum Synodalem per navim Ecclesiae perrexerunt ad latus dextrum, Ecclesiam & chorum circumcurrendo.

DISTRIBVTIO

locorum Synodaliū.

IN loco Synodali, qui ab antiqua consuetudine est domus Capitularis, in capite praefatae domus, ante medium altaris, mappa mundā, antependio, & quatuor candelabris inauratis, cum Crucifixo, exornati, sub Baldachino serico rubro erat sedes Episcopi, duos gradus alta. A dextris Episcopi considebat primus Diaconus, cum Presbytero assistente; à sinistris vero secundus Diaconus assistens cum Canonico Capellano ad pedum, in scabibus, utrimque per modum semilunae circumpositis. Mense item quatuor, rubro panno obducta, diversimode collocatae erant; prima à dextris Episcopi, cui assidebat in sede preparata Dominus Officialis, renibus ad meridiem & facie ad septentrionem versis; secunda à sinistris Episcopi; in ea se collocabant Synodi Promotores, Secretarius & Aduarius; tertia pro Notario Synodi, qui facie versa ad Illustrissimum, ante Clerum solus considebat; quarta retro latus dextrum Illustrissimi; in hac paramenta & alia necessaria deposita fuerunt. a latere item sinistro Episcopi collocata fuit cathedra, ex qua decreta Synodalia praelegi consueverunt.

Cathedralis Ecclesiae Praelati & Canonici, Decanus item & Capitulum S. Iohannis Osnabrugi, S. Alexandri in Wildeshusen, SS. Agidis & Caroli in Widenbrug, Pastor item Cathedralis Ecclesiae, & sancti Iohannis, à latere dextro domus Capitularis; Praelati vero Regulares, Abbas Iburgensis, deputatus Praepositi Clarholtensis, Ordinis Praemonstratensis, nec non aliorum Monasteriorum, tam sancti Benedicti quam Cisterciensis Ordinis, Patres item Societatis, Dominicani, Franciscani, alique Religiosi, à latere sinistro in scamnis lateralibus, panno caeruleo utrimque obductis, consederunt. Scamna, in medio per transversum disposita, Decani Rurales, Vicarii Cathedralis & Collegiatæ Ecclesiae sancti Iohannis, Parochi, Capellani, Beneficiari, alique Clerici occuparunt. Singulis, in locis sibi assignatis, subsistentibus, Diaconus & Subdiaconus cecinerunt Vers. Emitte spiritum. Illustrissimus subjunxit Collectam de Spiritu sancto; eaque finita, omnes consederunt. Cui, modo supraddicto, singuli concessissent, Illustrissima sua Celsitudo ad se vocato Officiali suo, Domino Iohanne Bisopinck, I. V. L. mandatum dedit interrogandi praesentes, an placeat eis inchoare Synodum. Quod is fecit his verbis: Reverendissimus in Christo Pater, &c. ut supra in prima Synodo majori Osabr.

Cumque communiter, & quasi una voce omnium, responsus esset, Placet; Illustrissima Sua Celsitudo, Synodum apertendam esse, decrevit, his verbis: Christi nomine invocato &c. ut ibidem.

Hoc accepto responsu, idem Officialis Episcopi, Illustrissimam suam Celsitudinem his verbis allocutus est: Illustrissime &c. ut ibidem.

Ad hoc

Pag. 4.
col. 2.Pag. 5.
col. 1.Pag. 5.
col. 1.

Ad hæc Illustrissima Sua Celsitudo se resoluit his verbis: Eligimus, nominamus & deputamus, in Promotores, ex Capitulo Ecclesiæ Nostræ Cathedralis, Ioannem Iodocum à Ledebur, Cathedralis Ecclesiæ Nostræ Osnabrugensis Custodem & Thesaurarium, & te Bernardum Matthiæ à Campo, SS. Theologiæ Doctorem; in Secretarium, Conradum Burenium Ecclesiæ S. Ioannis Canonicum, & Pastorem in Ecclesia Cathedrali; in Actuarium, Ioannem Brogberem I. V. L. Canonicum Ratisbonensem in Collegiata SS. Ioannis Baptistæ & Euangelistæ, & Pastorem in Rimfloe.

Deputati ministri Synodales mox in mensâ, à latere sinistro Episcopi ad hoc dispositâ, & rubro panno obductâ, confederunt. ac deinde Illustrissima Sua Celsitudo Synodum est allocuta conceptis verbis: Venerabiles Sacerdotes, & Fratres charissimi, ut in Pontificali.

Quo absoluto, primus Promotor, Dominus à Ledebur, sequenti modo Synodum est allocutus, legitque Decretum de non discedendo. Reverendi, Nobiles, Venerabiles, &c. ut ibidem in Synodo majori Osnabrugensi.

Pag. 5. col. 2.

Hoc præmissis Decreto, per Synodi Notarium Gerardum Brieckweede, reproductæ sunt literæ citatorie ad Synodum, cum adjecta protestatione, eas sufficienter transmissas & legitime intimatas fuisse.

Vi verò de absentium & presentium numero constaret, demandatum fuit Notario Synodi, Gerardo Brieckweede, ut omnium & singulorum nomina, antiquo more, alta voce pronuntiaret; iussimque fuit, ut, qui personaliter adessent, suam presentiam, per verbum Adsum, contestentur, absentium vero nomina singulariter annotentur.

Vbi vero compertum, nonnullos abesse, secundus Promotor Dominus Bernardus Matthiæ à Campo, huiusmodi absentiam, ac non comparentium contumaciam, accusavit; atque, in poenas juris Canonici, ac Concilii Tridentini, eos incidisse, declarari petiit, his verbis: Illustrissime & Reverendissime Princeps, &c. ut ibidem.

Pag. 5. col. 2.

Ad hæc Illustrissima Sua Celsitudo sic fuit interlocuta: Decernimus, ut, non obstante contumacia, &c. ut ibidem.

Pag. 6. col. 1.

Subsecuta deinde concio Synodalis, habita ab ipsamet. Illustrissima Sua Celsitudine per integram horam cum dimidia. Ad quam omnes diligentissime attenderunt, fructumque uberrimum tulerunt.

Concione absoluta, primus Synodi Promotor iterum Synodum conceptis verbis est allocutus: Illustrissime & Reverendissime Princeps, &c. ut ibidem.

Pag. 10. col. 2.

Mox Dominus Conradus Burenium, S. Synodi Secretarius, accepit nonnulla Statuta Synodalia ex manibus Domini Officialis; accessit ad Illustrissimum, petiitque ab Illustrissima Sua Celsitudine, num eidem placeat, hæc Decreta ex suggestu prælegi & publicari. Respondit Illustrissimus, Placet. Obtemo de super consensu Illustrissimi, Secretarius ascendit suggestum, & legit Decreta Synodalia.

SEQUUNTUR
DECRETA
SYNODALIA.

DECRETVM I.

De Synodo inceptâ.

In nomine Sanctissimæ & individuae Trinitatis, Patris, Filii, & Spiritus sancti.
Amen.

NOS FRANCISCVS GVILIELMVS, Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus Osnabrugensis; ad Dei omnipotentis gloriam, ac Beatissimæ Virginis, Dei Matris, & S. Petri Apostoli, & Crispini & Crispiniani martyrum, honorem, Nostram Diocesanam Synodum incipimus. Faxit idem omnipotens Deus, pro sua misericordia, precibusque Virginis Beatissimæ, ac eorundem Sanctorum aliorumque, ut, quemadmodum speramus, ex hoc sacro cœtu, lumen & spiritum omnes reportemus, ad officia nostra secundum voluntatem Dei peragenda.

DECRETVM II.

De modo vivendi, tempore Synodi.

Quoniam nihil fere sæpius divinis literis & Ecclesiasticis monumentis commendatum est, quam, clericalis ordinis hominum, vitæ integritas, innocentia, fides, religio, pietas, virtutumque omnium ornamenta, quibus domus Dei potissimum excolitur; ideo Clerum Nostrum, hic præsentem, monemus, & per viscera misericordiæ Dei nostri obtestamur, ut, cum semper, tum maxime hoc tempore, in verbo, in conversatione, in charitate, laicis hominibus præluceant, omni virtutum splendore; & tabellam disciplinæ Synodalis, à Nobis propositam, diligenter observent.

DECRETVM III.

De Collectâ in Missa, pro peccatorum venia.

EDicimus quoque ac mandamus, ut in Missa omnes & singuli Sacerdotes, Orationem aut Collectam, quæ pro peccatorum venia postulanda dicitur, per septem dies devotè recitent; idemque Clerici piâ oratione precentur. Quod ut populus etiam devotè agat, suos quisque Parochus Christi fideles diligenter moneat atque cohortetur.

C c D E

D E C R E T V M I V.

De prajudicio non afferendo.

Decernimus, si cui contigerit suo loco non sedere aut incedere aut vocari, aut aliud quidpiam agere, propterea nemini novum jus acquiri, nec quidquam de cujusquam jure possessioneve detrahi, sed in eo ipso statu permanere, in quo ante hanc Synodum esse reperiebatur.

D E C R E T V M V.

De non discedendo.

Vobis præterea omnibus & singulis, qui huic Synodo de jure vel consuetudine interesse debetis, penâ excommunicationis propositâ vetamus, ut ne vestrum quisquam à Civitate discedat, antequam hæc Nostra Dioecæsanâ Synodus de more absolvatur, & dimissa sit; sed huic Synodo, Synodalibusque actionibus, Sessionibus, & conventibus quibuscunque, qui indicentur, omnes & singulos vos interesse volumus, eâdem excommunicationis penâ propositâ.

D E C R E T V M V I.

De oratione publica.

Quoniam veteris est instituti, solemnisque ritus in Synodali conventu, pro publicis rebus orationem fieri; quod his maxime temporibus faciendum est; ideo in omni prece, & à Sacerdotibus præsertim in Missæ sacrificio, hoc tempore Synodali per integrum octiduum, ad Deum orationem adhiberi edicimus; nimirum

Punctum I. Omnes orent pro Sanctissimo Domino nostro Papa INNOCENTIO X.

II. Pro Serénissimo Archiepiscopo Coloniensi Metropolitano nostro MAXIMILIANO HENRICO, & Antistite nostro FRANCISCO GVILIELMO.

III. Pro unitate & tranquillitate Principum Christianorum, & omnium Statuum Ecclesiæ Catholicæ.

IV. Pro pace publica Imperii Romani.

V. Pro constanti perpetuaque Cleri ac populi Dioecæsis Osnabrugensis bene pieque agendi perseverantia.

VI. Pro ministris, qui ad Ecclesiæ hujus Osnabrugensis cultum adhibentur.

VII. Pro salutari hujus Synodi successu.

VIII. Pro perfectâ omnium Decretorum executione.

Leito hoc Decreto, Secretarius Synodi denuo descendis ex suggestu, unâ cum promotoribus accessit

ad Illustrissimum; & primus Promotorum institit pro faciendâ fidei professione, sub præscriptâ formulâ, ut sequitur.

Reverendissime & Illustrissime Princeps, Domine clementissime. Cavit SS. Concilium Tridentinum, ut omnes, qui beneficia Ecclesiastica consecuti sunt, & qui Synodo Dioecæsanâ interesse debent, in eâ Synodo, quæ primo quoque tempore celebrabitur, fidei professionem faciant ac præstent; prout illa Tridentina sanctio expressum est. Ideo nos, hujus Synodi Promotores, humiliter petimus, & requirimus, sanctionem illam legi, & ad præscriptum, ab iis, qui tenentur, omnia & singula præstari.

Reverendissimus & Illustrissimus respondit; Decernimus & mandamus ita fieri. Discedentibus illis, Secretarius de suggestu legit

D E C R E T V M V I I.

De professione fidei faciendâ.

Sacrofanctâ Tridentinâ Synodo illud gravissimè sancitum est, ut, quicumque in posterum beneficia Ecclesiastica obtinebunt, qui item in Dioecæsanâ Synodo convenire debent, omnes in eâ ipsâ Synodo, quæ quoque tempore celebrabitur, fidei professionem præstent. Universos igitur & singulos, hic præsentem, jubemus & precipimus, fidei professionem præstare, quæ eandem inUPERâ Synodo non emiserunt.

Leito hoc Decreto, idem Burenus ex cathedra edixit: Accedant igitur omnes & singuli, ut emittant genuflexi dictam fidei professionem.

Mox genuflexerunt, cum Illustrissimo, omnes suis locis; itaque genuflexi permanserunt, donec, eorum nomine, formula professionis fidei, de suggestu, à Secretario stante & aperto capite, legitur, usque ad illa verba: Sic me Deus adjuvet.

Reverendissimus igitur & Illustrissimus, omnibus bono exemplo præluere volens, in hac primâ Synodo post restitutionem Episcopatus sui, primus omnium ante altare genuflexus, coram Deo, fidei professionem emisit, in breviori ut sequitur formula.

Ego N. N. recipio, promitto, spondeo, profiteor, detestor, anathematizo, voveo, ac juro, ut in decreto & formula professionis fidei, verbis ex bulla lectis, singula singulis referendo. Sic me Deus adjuvet & hæc sancta Dei Evangelia. & mox subjunxit ex Evangelio S. Joannis, illud ambabus manibus tangens, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.

Deinde surrexit Illustrissimus, ac ad ipsius manus mox Dominus Officialis, Promotores, Secretarius, & Actuarius Synodi, professionem fidei emiserunt, ut aliorum, præter Illustrissimum, fidei professiones excipere possent. Mox Capitulum Cathedralæ,

Vi habetur superius, pag. 27. col. 2. & pag. 232. col. 2.

thebrale, Abbas Iburgensis, Capitulum S. Joannis, & alia Collegiata, Deputati item Monasteriorum, iique bini & bini, dictam professionem, unica solum manu Euangelium sancti Joannis in fine tangentes, ad eandem Illustrissimæ Suae Celsitudinis manus praestiterunt. Interea Decani rurales, Pastores item & Clerici, qui ex parte dextera loci Synodalis confidebant, unus post alium ad manus Officialis; ad manus vero Promotorum, quicumque alii, ex sinistro latere confidentes, in fidem Catholicam iuraverunt. Quod ideo Illustrissima Sua Celsitudo fieri mandavit, ne, propter hanc singulorum professionem ad manus solius Illustrissimi, tota Synodus diutius detineretur. singuli praeterea, ad loca sua redeuntes, Notario Synodi dederunt nomina & cognomina sua, cum titulis beneficiorum, ad inferendum protocollo testimonium de praestita fidei professione.

His finitis, cum jam audiretur hora duodecima diei, accessit Synodi Secretarius ad Illustrissimum, & petiit, an placeat indici, continuationem Sessionis Synodalis fore post prandium.

Respondit Illustrissimus & Reverendissimus: Placeat, indicatur ad horam tertiam.

Mox Secretarius ascendit suggestum; indicitque, secundam Sessionem fore horâ tertiâ pomeridianâ; in haec verba: Decernimus & indicimus, secundum hanc Sessionem fore horâ tertiâ post meridiem.

Postea Promotores instabant, accessit Notario, contra contumaciam absentium; his verbis: Reverendissime atque Illustrissime Princeps, cum dies decima quarta mensis Martii, labentis anni M D C L I, venerit, quâ omnes & singuli Ecclesiastici ordinis homines, hujus urbis & Diocesis, ad praescriptum tempus legitime Synodo huic jam praesentes adesse debeant, multi tamen non paruerint, sed usque adeo negligentes vel contumaces fuerint, ut neque praesentes adsint, neque iusti impedimenti excusationem, causamve aut nuncium, miserint; ideo, pro nostri muneris officio, ego Iodocus à Leedeber, & Matthias à Campo, hujus Synodi Promotores, eorum contumaciam accusamus, instamusque apud Illustrissimam atque Reverendissimam Celsitudinem Vestram, ut citationem valvis hujus Ecclesiae Cathedralis affigi, & cum iisdem, tanquam inobedientibus, agi jubeatis, prout juris est, & Sacrorum Canonum ratio postulat.

Respondit Illustrissimus: Ita decernimus & mandamus.

Tunc ad Synodi Actuarius conversi Promotores, sic eundem alloquuti sunt: Ego Iodocus à Leedeber, & Bernardus Matthia à Campo, hujus Synodi Promotores, rogamus te Ioannem Brogberen, Actuarium Episcopalem hujus sacrae Synodi, ut de omnibus & singulis in hac Sessione peractis unum plurave conficias instrumenta.

Respondit Actuarius: Conficiam in scriptis, ad ejusque confectionem Dominos Antonium Zollinger, & Nicolaum Schaberg, Cathedralis Ecclesiae Vicarios, uti testes, specialiter requiram.

Post haec Secretarius Synodi, D. Burenus, legit Decretum ex suggestu, de discessu, in haec verba:

DECRETVM VIII.

NE quisquam à loco discedat, ante quam Reverendissimus & Illustrissimus Episcopus è Synodo abierit; nec verò raptim turbulentere, sed gravi & decore incessu.

Mox Diaconus Synodalis, facie ad Clerum versa, incepit cantare, Orate, iisdem notis, quibus alias canitur, Levate. Dato hoc signo, confestim genuflectebant omnes, modico spatio mente orantes. Subjuxit idem Diaconus tres orationes mentales versus Clerum; post singulas tamen genuflectit, & paulisper oravit cum reliquis.

ORATIONES MENTALES,

pro fine prima Sessionis, per Diaconum cantatae.

I O R A T I O.

F Ratres charissimi, (per notas, FA, MI, RE, FA, FA, FA,) toto corde conversi ad Dominum, mentes ad caelum erigamus, & corporibus prostrati, haec devotè precemur, invocatis SS. Patronis & Protectoribus hujus Civitatis & Diocesis Onabrugenensis, sancto Petro Apostolo, Crispino & Crispiniano, cum cæteris Sanctis ac Beatis, quorum corpora in hac Civitate ac Diocesi requiescunt. (terminatur per FA, RE.)

Orate intimo dolore, ut Dominus peccatorum vestrorum veniam vobis concedat, negligentis indulgeat, ignorantiae parcat, errata omnia condonet, quæ in Clericali disciplina, in officiis Sacerdotalibus multipliciter commisistis. intimo cordis affectu pro Reverendissimo Episcopo, & omnibus qui in hoc Clero continentur, item pro invicem, ut salvemini. (terminatur per FA, RE. dein fit Pausa per unum Misereere.)

II O R A T I O.

F Ratres charissimi; unanimes perseverate in oratione, & petite à Patre misericordiarum, & Deo totius consolationis, quem credimus esse in medio hujus sacri coetus: petite Spiritus sancti dona, ut post hoc omnes dignè ambulent vocatione, qua vocati sunt, ut Sacramenta dignè ministrent, verbum Dei cum fructu praedicent, animas folicite curent, scandala devitent, religiosè vivant, in patientia possideant animas suas. (Pausa, ut supra.)

III ORATIO.

FRatres charissimi : unanimes orate pro Sanctissimo Domino nostro Papa Innocentio X, Christi Vicario, ut sanctam Ecclesiam Dei sanctè gubernet, cum Cardinalium Collegio : orate pro sanctà Catholicà & Apostolicà Ecclesià Romanà, toto orbe terrarum diffusà, ut eam Deus secundum voluntatem suam pacificare, coadunare & regere, conservare, defendere, augere & exaltare dignetur, ad honorem & gloriam suam. (*Pausa, ut supra.*)

Illustrissimus, orationibus mentalibus expletis, dedit benedictionem manu tantum, nihil dicendo; exiit paramenta, sicut & reliqui Assistentes. Cathedralis Ecclesiæ Canonici Illustrissimam Celsitudinem Suam comitati sunt ad fores Ecclesiæ. Ve-

spera, secundum factam ab Illustrissimo dispositionem, post primam Sessionem cani debuissent; sed, quia jam hora duodecima dudum sonnerat, idcirco quilibet easdem privatim in Choro legit; & Completorium medio tertiæ inceptum est.

Ut primum Illustrissimus ad Residentiam ex Synodo rediit, dato ad prandium signo, conveniunt omnes ab Illustrissimo ob temporis penuriam ad id specialiter invitati. In loco refectionis, triplex collocata fuit mensa. Primæ assidebat Illustrissimus cum Capitulo suo Cathedrali, Abbate Iburgensi, & aliarum Collegiarum nonnullis Canonis; secundæ Decani; tertiæ Religiosi, & reliqui de Clero. Unus Capellanorum Illustrissimi, ad id deputatus, ex pulpito, durante prandio, exhortationes Synodales ad Clerum ex Actis Mediolanensibus S. Caroli Borromei praelegit; cui omnes cum modestia inter vescendum auscultarunt.

SESSIO SECVNDA.

A Prandio, horâ secundâ, datum signum majori campana ad Synodum. Medio tertiæ, inceptum Completorium. Horâ tertiâ Completorio finito, Illustrissimus, deductus ab aulicis suis, venit ad Ecclesiam, indutus rochetto, mozetta, & bireto rubro. Cathedralis Ecclesiæ Prælati & Canonici ad fores Ecclesiæ Illustrissimam Celsitudinem Suam expectarunt. Cui, Ecclesiam ingresso, & Cappa Episcopali induto, porrexit aspergillum Dominus Præpositus; quo se & circumstantes aspersit; ac deinde ad Chorum processit. Postquam Illustrissimus modico tempore, in primis ante Venerabile, deinde ante summum altare, in genuflexorio oraverat, perrexit ad thronum Episcopalem; in eoque à Diacono & Subdiacono (ante adventum Illustrissimi indutis,) depositâ Cappâ, iterum amictu, albâ, stolâ, pluviali & mitrâ, indutus est. Quod dum factum, organa pulsata fuerunt, idque ab ingressu Illustrissimi in Ecclesiam, quoad, una cum Assistentibus, omnino paratus erat. Assumptis omnibus paramentis, modico spatio confedit in throno; tum surrexit, ivitque ante altare majus ad faldistorium; &, factâ pausa, per Diaconum Synodalem denuo cantatum, versâ facie ad Clerum & populum, Orate. Omnibusque genua flectentibus, ac paulisper mente orantibus, subjunxit Illustrissimus, genuflexus ante medium altaris, Antiphonam, Propitius esto, quam Chorus prosequutus. Finitâ Antiphonâ Cantores inceperunt Psalmum, Deus venerunt gentes; quem graviter & tractim, ex utroque latere, alternis vicibus, Clerus decantavit. Interea Illustrissimus confedit in faldistorio, renibus altari obversis. Repetitâ Antiphonâ, Illustrissimus, depositâ mitrâ, surrexit, &, stans versus altare, dixit tres orationes, ut in Pontificali.

Post hæc Illustrissimus, acceptâ mitrâ, sedens, imposuit incensum in thuribulum, & benedixit

Diacono. Qui Evangelium, cum debitis caerimoniis, ut alias, missione omisâ, legit.

Lecto Evangelio, & porrecto osculo libri Evangeliorum Illustrissimo, incensatio ejusdem, more solito, facta est. Quâ peractâ, inceptit Illustrissimus, scholâ prosequente, hymnum, Veni Creator Spiritus, qui dum decantatur alternatim ab organo, Clerus processit, ut in primâ Sessione, euntibus binis & binis, ad locum Synodalem. Finito hymno, & posteaquam singuli loca sua, ut mane, occuparant, præcinente Diacono & Subdiacono Vers. Emitte Spiritum; Illustrissimus subjunxit Collectam de Spiritu sancto; & deinde, sedens, allocutus Clerum, Venerabiles Fratres, ut in Pontificali; sermonem Synodalem denuo habuit per horam & ultra, ac magno verborum pondere magnâque suavitate & eloquentiâ, de disciplinâ & reformatione Ecclesiastica, omnibus ex sacra Scripturâ aptissime deductis, dixit. Quo finito, S. Synodi Secretarius ad Illustrissimum accessit, petiitque, num Illustrissimæ Suae Celsitudini placeat, ea, quæ adhuc supersint decreta, legi. Respondit Illustrissimus: Placet, legantur.

Secretarius Synodi reassumpsit lectionem Decretorum, incipiendo ab octavo hujus Synodi Decreto, usque ad vigesimum septimum exclusive; ut sequitur.

DECRETVM IX.

PRima & maxima Pastorum cura versari debet in iis, quæ ad fidem Catholicam, quam sancta Romana Ecclesia Catholica colit & docet, & sine qua impossibile est placere Deo, integre inviolateque conservandam pertinent. Proinde, & verbo & exemplo, ita se gerant, ut non solum fidem, quam lingua loquitur, etiam moribus ac vitâ fateantur, verum & alios doceant.

D E-

DECRETVM X.

Vnde lectioni sacrae Scripturae, sanctorum Patrum, & probatorum orthodoxorum Concionatorum, aliorumque piorum librorum, continue & quotidie insistant; seque ita salutaribus instruant disciplinis, ut & alios docere possint: & cum temporis hujus ratio ita exigat, controversiis fidei diligentem navent operam.

DECRETVM XI.

Similiter Christianam doctrinam & Catechesin nunquam omittant, sed, diebus saltem Dominicis, si non & festivis, illam, juxta Synodum nostram majorem, diligenter servant. Quare & sibi & suae curae commissis provideant quantocius de Catechismo Germanico Canisii; quem solum doceri & haberi in Dicecesi Nostra volumus.

DECRETVM XII.

Udimagistris item intendant; sapius scholas visitent; ac advigilent, ne in suis districtibus & scholis alii libri, praeterquam Catholici, doceantur. Populum hortentur, ut diligenter ad Ecclesiam accedat, invitent etiam alios, & cum ipsis humaniter agant.

DECRETVM XIII.

Magnam Seminarii necessitatem non solum Patres in Concilio Tridentino agnoverunt, verum & Nos in primo Nostro ingressu experti sumus. unde officio nostro non desuimus in eo fundando, & scholis academicis omnium scientiarum erigendis; sed, cum bellici motus ea omnino dissiparint, videbimus, ut recolligamus lapides hos sanctuarii. nec dubitamus, quin, pro debito vestro & Ecclesiae necessitate, magno zelo, consilio & auxilio, sitis suo tempore adfuturi.

DECRETVM XIV.

Cum, per Dei gratiam, in tota Nostra Dicecesi, juxta Synodum Nostram majorem, usus Calendarii Gregoriani, Breviarii Romani & Caerimoniarum receptus sit; hinc monemus, ut in hoc etiam illi se ostendant filios esse, & unitatem & conformitatem conservare velle. Cum vero, his bellorum motibus, Missalia & Breviaria, alique chorales libri distracti & annihilati sint; curavimus jam novos ad eum usum afferri. Unde omnes & singulos monemus, ut, durante Synodo, quos non habent, de iis sibi provideant. Insuper Agendam, ad usum Romanum, item Pro-

prium Sanctorum Dicecesis Osnabrugensis, nec non alios, qui ad caerimonias spectant, edendos curamus. interim Colonienfi vel Romanam Agendam uti poterunt. Pastores omnes, uti & Vicarios ac Beneficiatos, volumus, antiquos (qui usui amplius Ecclesiae esse non debent) a Nobis ad id deputato consignare, & ea, quae forsitan pro foundationibus, fundis Ecclesiasticis, & antiquitate, in eis notata reperiuntur, extrahere; ut, ad utilitatem, auctoritate publica, cuique loco ac personis adnotari tradique possint.

DECRETVM XV.

Si unquam tempus fuit, decorem domus Dei diligere, & ornatum munditiamque Ecclesiarum commendare ac adhibere, modò certe est. videmus enim non aras sed hasas. Quare illi, quorum interesse debet, sedulo invigilent, ut & mundities sit locorum sacrorum, & necessaria pro cultu divino successivè procurentur.

DECRETVM XVI.

Dies festos, esuriales, & feriales, diligenter, juxta Nostras Synodos praecedentes, & antiquam consuetudinem, observari faciant; subditoque doceant, quidnam sit diem Domini sanctificare; praeeant exemplo Pastores; ad templum etiam suos invitent; maxime post prandium, ubi fieri potest, Vesperas cantando vel *Salve Regina*; vel etiam nonnunquam aliquid breviter dicendo pro instructione, vel ex piis libris legendo, vel etiam ex libro approbato Germanicè cantando; ut ita se sancte occupent, populumque ad pietatem inducant, & vel à comportationibus vel laboribus vel ipso otio abstrahant.

Antiquam etiam consuetudinem ac modum jejunandi, ciborumque prohibitorum diebus statutis observationem, doceant & inculcent.

DECRETVM XVII.

Sacramentorum administrationem religiosam mundamque, & in caerimoniis & aliis, pie ad devotionem populi, debitis locis ac temporibus, nec non distinctè verba pronuntiando, peragant; promptos se, cum vocantur, exhibeant; nec ita moras trahant, ut, sua culpa, ulla Christiana anima periclitetur.

DECRETVM XVIII.

Virtutem, vim, ac necessitatem Sacramentorum, populum diligenter assidueque doceant, & ad ea percipienda hortentur; maxime, ut Sacramentum Poenitentiae in anno frequent, admoneant; aegrotos invitant;

pauperes ac miserabiles personas minime negligant, sed ex fraterna charitate, officii & obligationis suæ memores, iis Sacramenta omnia gratis, nullum inde lucrum expectantes, administrent: informet etiam de gratia Spiritus, quam percipimus in Sacramento Confirmationis; quod Nos ipsi jam primò, ferià tertià Paschæ, divinà cooperante gratià, conferre intendimus; & singulis quatuor maioribus festiuitatibus, Paschæ nimirum, Pentecostes, in festo Assumptionis B. V. M. & sancti Ioannis Euangelistæ, singulis annis in dictà Ecclesia Nostra Cathedrâ, aliàs verò per annum diversis in locis Diœcesis nostræ, conferri faciemus: instruant etiam quàm maximè de Patrinis, modoque Sacramentum illud dignè suscipiendi, quòd idem etiam facient de Sacramento Extremæ unctionis.

DECRETVM XIX.

Quam maximè verò videant, ut impedimenta, matrimonium contrahendum impediencia, aut jam contractum dirimentia, optime norint; distinguendo bene gradus affinitatis & consanguinitatis; & si quæ repererint, ad Nos recursum habeant, ut, facultate, Nobis solis concessâ, in iis aut dispensare, aut consilio remedium afferre possimus. Aliter conjunctos, ipsosque Parochos qui ita illicitè coniungunt, debite puniemus, & omnia acta nulla declarabimus.

DECRETVM XX.

DE Sacrificio Missæ dolenter referimus, inveniri, qui non debite, pure, caste, nec pie ac reverenter, & ad populi devotionem movendam, offerant. Quare omnes & singulos monemus, ut, hæc corrigentes, secundum sacros Canones Nostrasque Constitutiones Synodales tremendum illud Sacrificium peragant, nec alijs cærimoniis aut modo, quam Missalis Romani, utantur; ut ita major Ecclesiæ autoritas atque uniformitas constet, & populi pietas promoveatur. Quæ, de confessione sæpius in anno facienda, antehac constituimus, omnino denuò servari mandamus.

DECRETVM XXI.

Circa Sacramentum Pœnitentiæ, similiter Canones antiqui & novi servantur; præsertim ut nullus, quicumque sit, limites potestatis sibi concessæ, vel jurisdictionis commissæ, excedat, & vel sacrilegia committat vel promoveat, & alios per hoc seducat, dum se absolutos credunt. præsertim publicos, notorios & scandalosos, tum concubenarios, tum excommunicatos, tum alios, non nisi præ-

viis requisitis, aut admittant, aut ad debitum Ecclesiasticum tribunal, ubi absolvi possunt, remittant.

DECRETVM XXII.

Maximo animi mœrore intelligimus, peccata blasphemæ in Deum & Sanctos, imprecationes item pessimas, hoc militiae tempore in Diœcesin Nostram irrepsisse. Quare Pastores populum sibi commissum continue dehortantur, publice & privatim increpando, ne Deus, ut adhuc nuper experientia hic docuit, & blasphemias ipse castiget, & imprecationibus effectum connivendo permittat in pœnam. Dabimus etiam prope diem edictum, per totam Nostram Diœcesin promulgandum, pœnasque constituemus debitas, tum Canonicas, tum etiam secundum Constitutiones Imperii Romani per sæcularem magistratum infligendas.

DECRETVM XXIII.

Similiter peccata fornicationis, imo adultærii, incestus, concubinatus, adeo invalescunt in populo, ut non mirum sit, pœnas hæctenus à Deo merito nobis immisissas; imo timendum, ne & severiores Deus permittat. Vnde, ad placandam iram divinam, omnem diligentiam adhibeant Pastores, ut non solum dehortentur populum à talibus, sed ipsi etiam caste vivendo exemplum præbeant, de similibus inquirent, & Nobis pro Ecclesiastico remedio ad pœnam, quæ canonica vel iustitiæ, referant.

DECRETVM XXIV.

Idem est de usuris, quæ, hoc rerum statu, magnas egerunt radices, non solum in populo, sed etiam in Clericis quibusdam. Quare, grave & detestabile crimen eradicari volentes, mandamus Pastoribus, ut diligenter se ex Doctoribus informet, quid & quantum liceat in huiusmodi contractibus, & quid prohibitum sit.

DECRETVM XXV.

Simonæ species similiter plures sunt, & multipliciter grassantur, speciosis titulis ac nominibus pallatæ, præsertim gratitudinis excessivæ, paris chirothecarum, (quæ etiam mille & duo millia Imperialium subinde æquant,) & similibus, quæ tamen, uti & confidentialis quædam, contra jura sunt, graviterque in Simone, Anania & Saphira punita, ita ut iram Dei & damnationem æternam operentur, meritoque etiam in hoc mundo in delinquentes feriò animadvertamus.

D E-

DECRETVM XXVI.

Concubinatum detestabilem ac turpissimum Clericorum, uti Prædecessor Noster Cardinalis Zolleranus & Nos eradicare hæctenus omni conatu laboravimus, ita pudet Nos, jam denuo à quibusdam vestrum occasionem dari, ut iterum hæc decretis inseri debeat poena in relapsos & contravenientes & incorrigibiles, parvo illorum honore: tenemur autem ex officio & munere Episcopali; tum, ne Nos ipsi, ut conniventes, tanti scelestis rei fiamus, & in poenas, constitutas negligentibus, incidamus; tum etiam, ut populus, qui per illos scandalizatus hæctenus fuerit, iterum per hæc ædificetur; cum viderit, mala corrigi, etiam in ipso Clero. Deinde, non solum præcedentes Canones sacros & Decreta metropolitana Synodalia, verum crebriores admonitiones in visitationibus, & multas privatas, etiam sæpius vobis impositas, huc repetimus, & ante oculos vestros, ad majorem vestri confusionem, ponimus, ne de Nostra patientia & magna longanimitate speratae conversionis, conqueri possitis. Et cum, tum in proximâ Synodali congregatione Iburgensi, XXI Decembris, tum ante decem dies, hæc respectivo vobis omnibus & singulis tam serio amonitionem scortorum & personarum suspectarum ante hanc Synodum actu & realiter, juxta metropolitana & Synodalia Statuta, intra certum terminum in statutis Nostræ Synodi majoris primæ, dimittendum, peremptorie ac ultimo injunxerimus, ratione liberorum similiter aliò mittendorum, usque ad Pentecosten tempus indulserimus; hinc declaramus, omnes & singulos, qui huic mandato non obediunt, aut in posterum cum his personis suspectis ubicunque commercium habuerint, vel novas superinduxerint, ipso facto omnibus beneficiis suis privatos esse; prout ipsos per præsentem privamus; ita ut dicta beneficia ab aliis impetrari possint, & à patronis alii præsentari debeant; insuper, uti incorrigibiles ac sordidissimi, ab officio Sacerdotali suspensi sint, & etiam, ob tanta tamque diuturna scandala, carceribus includi debeant ac puniri. Mandabimus etiam & requiremus brachium sæculare, ut domus suspectorum, tam de die quàm de nocte, visitent; infames etiam illas personas, publicè per carnificem ignominia affici statim, absque ulteriori mandato, faciant; & si ipsi conniventes & negligentes fuerint, illos ipsos à Nobis multandos esse.

DECRETVM XXVII.

Dolendum est, hæctenus beneficia, vel ineptis personis & non qualificatis, jux-

ta fundationem & onera, collata, nec ab indignis non debite possessa, aut in unam personam plura beneficia, sine dispensatione, coadunata: unde tot tantæque fundationes interierunt, possessorum & Collatorum culpa. Quare omnes, qui vel collationem, vel jus patronatus habent beneficiorum simplicium, in posterum non nisi ætate, doctrinâ & moribus qualificados præsentent, vel talibus conferant. Vt autem etiam Nobis constet, qui & quales promoveantur; volumus, ut singuli provisum, post præsentationem vel collationem, intra octiduum se Nobis vel Vicario fistant, nec, ante approbationem Nostram, ullatenus instituantur aut admittantur; ex Tridentina sessione VII, cap. XIII. Iis vero, qui, post ultimam visitationem Nostram, beneficia etiam simplicia adepti sunt, intra mensem titulos provisionis suæ edant, & de qualificatione doceant; & si plura obtineant, dispensationem producant; cum Nos Pastor merito oves, & oves vultum Pastoris, cognoscere debeant.

Denuo præcipimus, ut beneficia gratis & absque diminutione conferantur; sub poenis, à jure constitutis, irremissibiliter infligendis.

Quæ omnia etiam de Pastoribus intelligenda sunt; præsertim cum Patroni, & etiam Collatores, quicumque illi sint, non habeant potestatem dandi illis claves ligandi & solvendi, quam nec ipsi habent, aut, si habeant, pro se tantum, & non pro aliis, obtinuerunt. Qui aliter se curæ animarum ingesserit, sciat, se suspensum ipso jure & facto ab officio, nec ab ullo alio præterquam à Nobis absolvi posse. unde etiam prius institui non debent, nisi postquam se stiterint Nobis vel Vicario Nostrum, pro examine ad curam faciendò: si aliter fecerint, omnem possessionem seu investituram ipso jure & facto nullam declaramus. Cum etiam constet, pluralitatem beneficiorum, de jure, prohibitam; mandamus, ut singuli Ecclesiastici Diocesis Nostræ Nobis informationem dent, quæ & qualia beneficia intra & extra Diocesi possideant, quo titulo & quâ ratione; idque spatio unius mensis: si aliter fecerint, beneficiis in Diocesi Nostrâ privati sunt.

DECRETVM XXVIII.

Prælatorum, vel qui in dignitate sunt apud Nostram Ecclesiam Cathedralem & Collegiatis, officium, abunde præcedentes Synodi ac Statuta metropolitana explicant & designant. Vnde eosdem hæc tantum monere, & per viscera misericordiæ Dei, denuo hortari volumus, ut munus hoc suum, uti jam, per Imperium constituta pace, liberius possunt, maximo zelo exequantur; cogitentq; semper, se rationem Deo reddituros tantò majorem, quantò magis ab ipsis non solum status parti-

cularis Ecclesiæ, sed totius Cleri exemplum, & Episcopatus hujus bonum dependet. Unde in eos, qui non obederint ipsorum monitionibus ac mandatis, assistentiam brachiumque debite offerimus. Et, cum Scholastici, Cantores & Thesaurarii, sæpe non exiguos eo nomine redditus habeant; sciant, quod vicissim ad scholas, cantum & suppellectilem sacram Ecclesiæ attendere, & personas sibi subordinatas ad hoc constringere; teneantur; aliàs Deo & Nobis reddituri rationem; nec fructus, ob hoc officium perceptos, suas faciant, sed eosdem restituere debeant.

Leitis hucusque Decretis, jubebantur omnes ii, qui mane, justo impedimento detenti, non adfuerant, nec professionem fidei emisserant, eandem ad manus Illustrissimi, aut Officialis aut Promotorum, præstare.

Horà quintà pomeridianà audità, primus Promotor, D. Iodocus à Leedebur, iterum institit contra contumaces, ut mane.

Secretarius Synodi accessit ad Illustrissimum, interrogans genussexus, an placeat indici tertiam Sessionem crastino die habendam.

Respondit Illustrissimus: Placet, indicat, crastino die Synodum continuandam ad horam septimam matutinam.

Secretarius deinde ascendit suggestum, indixit tertiam Sessionem futuram altero die hora VII matutina.

Post hæc Diaconus Synodalis cantavit, Orate, ut mane; factaque oratio mentalis ad tria capita.

ORATIONES MENTALES,

in fine Sessionis secundæ.

I ORATIO.

DIACONS. Fratres charissimi: unanimes orate pro Serenissimo Metropolitano, ut sanctè regat Ecclesiam Dei; ut flagella, perturbationes, contentiones, errores omnes, & omnes adversitates, dignetur avertere, detque illi, in tranquillitate paceque sanctâ Ecclesias sanctas gubernare. (*Pausa.*)

II ORATIO.

FRATRES charissimi: Orate pro Reverendissimo Episcopo nostro FRANCISCO GVILIELMO, ut, divino Spiritu illustratus & roboratus, unâ cum suis adiutoribus, & cum suo grege, consequatur vitam æternam. (*Pausa.*)

III ORATIO.

FRATRES charissimi: Orate unanimes Spiritum sanctum, Dominum messis hujus, ut operarios mittat in messem suam, detque omnibus, vineæ hujus Osnabrugensis operariis, Spiritus sancti ignem & lucem, ac demum æternam mercedem. (*Pausa.*)

His omnibus peractis, Illustrissimus benedixit manu tantum, nil dicendo; &, depositis paramentis, recessit. quem ad fores Ecclesiæ comitati sunt Canonici Cathedralis Ecclesiæ tantum.

S E S S I O T E R T I A .

DIE xxv Martii, horà quartâ matutinâ, in Cathedrali & Collegiata sancti Ioannis, decantatum Matutinum, Horæ minores, & Sacrum conventuale.

Horà sextâ matutinâ, facta compulsatione ad Synodum, in Cathedrali convenit Clerus, in & extra Chorum.

Horà septimâ, processit Illustrissimus cum suis ex Residentia ad Ecclesiam, cum mozetta; exceptusque à Prælati Cathedralis Ecclesiæ & Canonicis, loco & more solito, assumpsit Cappam Episcopalem; perrexit inde, organo perstrepeute, ad Chorum, & precibus ante SS. Sacramentum & altare majus præviis, thronum ascendit; ibidemque amictu, albâ, cingulo, stolâ, pluviali, & mitrâ, induus fuit; assistentibus Illustrissimæ Suae Celsitudini duobus Diaconis, in habitu solo Canonicali choralis, sine paramentis sacris. modico deinde spatio confedit in faldistorio, descendit ad altare, & cum Abbate Iburgensi, qui Sacrum, hoc die, de SS. Trinitate cantaturus, Illustrissimam Suam Celsitudinem, cum sibi assistentibus, jam tum paratus, in Ecclesia ad cornu Epistolæ, & facie ad thronum versâ, expectavit, Confessionem dixit.

Sub Sacro, post sumptam Communionem, paraverunt se ministri Synodales retro altare summum,

Benedictio in fine Missæ data non est; sed mox, finito Sacro, accesserunt ad Illustrissimum dicti ministri Synodales, induti, Abbate cum suis retro altare recedente.

Illustrissimus processit ad altare. Diaconus Synodalis, ut heri, facie versâ ad Clerum, cantavit, Orate. Illustrissimus subjunxit Antiphonam, Exaudi nos Domine, ut in Pontificali; scholâ prosequente. Finitâ Antiphonâ Cantores inceperunt Psalmum, Salvum me fac Deus, & se, sedentes, alternatim cantando, absolverunt in Choro. Repetitâ Antiphonâ, Illustrissimus, versus altare stans sine mitra, dixit Orationes, Ad te Domine, ut in Pontificali. deinde, præviis consuetis carimoniis, cantatum Evangelium, Si peccaverit in te frater tuus. Lecto Evangelio, & incensato Illustrissimo, flexis genibus ante altare, incepit hymnum, Veni Creator; cujus hymni primum versum posteaquam omnes genussexi absolverant, movebatur processio, ut heri, ad locum Synodalem; & alternatim à Clero & Organo, præfatus hymnus absolutus fuit.

In loco Synodali, consistentibus jam omnibus in suis

suis locis, Illustrissimus decanato prius per Diaconum & Subdiaconum Missæ versiculo, Emitte Spiritum, subjunxit Collectam de Spiritu sancto, Deus, qui corda fidelium.

Facta allocutio ad Clerum ab Illustrissimo, ut heri: Venerabiles & dilectissimi fratres.

Iterum, & tertia jam vice, post hæc habitus est sermo ab Illustrissimo, ad horæ unius spatium & ultra.

Post sermonem, Secretarius Synodi petiit ab Illustrissimo genus sexus, an placeat legi hujus sacræ Synodi Statuta, necdum prælecta. Annuente ad hoc Illustrissimo, ascendit suggestum, & incepit à Decreto XXVIII, continuans usque ad finem.

DECRETVM XXIX.

Quod ipsum etiam Archidiaconos Nostros monitos volumus: qui, cum oculi Episcopi vocentur & esse debeant, merito cavere debent, ne albugo in oculo sit vel macula. quare visitationibus insistant diligenter; non tamen ad emunctionem, sed ad compunctionem & emendationem; unde non solum pecuniariis pœnis, quas tamen in proprios usus convertere vix possunt, sed canonicis etiam, quibus aliqui magis terrentur, & corriguntur facilius, utantur. Et, cum, juxta illorum commissiorem, graviora ad Nos deferre debeant, inter que sunt dispensationes in gradibus prohibitis & proclamationibus matrimonialibus, signum est, ipsos potestatem de illis non habere, nec sine conscientiæ læsione ac nullitate procedere posse. At multi abusus & conscientiarum gravamina accrescunt, cum tales constituunt Commissarios suos, ut vocant, qui aut ipsi in cœno iniquitatis versati sunt, aut suspecti, aut qui plus pecuniam quam correctionem amant. Vnde, ut honori suo Archidiaconis provisum sit simulque officio, nolumus, ut illi Commissarii tales adhibeantur, nisi qui bonæ famæ, vitæque inculpatae, ac moribus integris, & zelosi sint, ob annexam etiam jurisdictionem sufficientis doctrinæ, à quibus & Ecclesiastici & populus illorum districtum magis edificari possint, quam hæctenus; alios enim neutiquam admittemus.

Curandum etiam, ut ipsi Archidiaconi personaliter visitationes parvo sumptu, & minimo gravamine subditorum, peragant, solo victu & procuratione Canonica & frugali contenti; ne ipsorum Commissarii, potitando & aliis scandalis, offendant, aut sua tantum querant; quæ omnia in animam ipsius Archidiaconi redundant.

DECRETVM XXX.

Similiter Decanos rurales, ipsorumque ad junctos Camerarios, in Domino hortamur, ut sua officia sedulo, bonoque exemplo ac dexteritate, ita exsequantur, ut & Nobis &

Deo rationem reddere possint, ad gloriam Dei, proximi salutem, & suam coronam, ac præsertim præmium æternum.

DECRETVM XXXI.

Parochorum officium, sat multumque, & Canones & Statuta Synodalia complectuntur. Et quoniam omnes ac singuli, cum ad Parochias admittuntur, juramentum præstare Nobis debeant; hinc modò illud à præsentibus, qui omnes simul jam ad Pastoratus promoti estis, vel qui ante hac non præstitistis, juste exigimus. Hoc tamen monitum volumus, ut, quoniam unicuique mandatum est de proximo suo, ita in omnibus spiritum directionis observent, ne haud necessariis investivis hostes Ecclesiæ prosequantur, sed solidis rationibus discretè, & Clericalis vitæ & morum integritate, confundant; animas verò Catholicas, vicinis in Parochiis sub hæreticis degentes, Christiana charitate adjuvent, & non secus ac proprias foveant, ad suas Ecclesias invitent, iis Sacramenta liberè, etiam in domibus ipsorum, administrent; nec non, demortuos, ad Ecclesiasticam sepulturam Parochiæ admittant & deducant; nomina etiam communicantium singulis annis post Pascha designent, ac animarum suarum rationem Nobis vel Vicario Nostro in scriptis reddant. Habeant etiam libros tres, Baptismi, Matrimoniorum, & Defunctorum; quibus nomina fidelium diligenter inscribant; prout antehac constituimus.

DECRETVM XXXII.

Denuo monemus, ut, quicumque testamentum condunt, aliquid pro erectione Seminarii Nostri Clericorum legent; aut executores eorundem de hæreditate aliquid contribuere teneantur. Et, si quæ testamenta antehac condita sint, quorum executio hæctenus, secundum Statuta Synodi majoris, & recepta jura Canonica, nondum facta fuit; mandamus omnibus & singulis hujusmodi executoribus, ut intra trimestre, Nobis vel Officiali Nostro debitam rationem reddant; ne defunctorum animæ, vel pii legatarii defraudentur, & executores ipsi se gravibus peccatis & restitutionibus obstringant. De quo etiam apud Nos doceri volumus; ut executionem, etiam brachio sæculari, promovere possimus.

DECRETVM XXXIII.

Si unquam vigilandum fuit, ac laborandum de rebus Ecclesiæ ac bonis ejusdem conservandis, nunc post tot belli motus ac vicissitudinem rerum opus illo erit. Vnde, quæ de hac materia statuta sunt, iterum innovamus. Specialiter autem denuo, sub pœna nullitatis, omnes

omnes obligationes, alienationes, locationes in longum tempus, seu ultra quadriennium, prohibemus; & aliter antea factas alienationes qualcunque irritamus.

DECRETVM XXXIV.

VTi etiam, quæ de Provisoribus templorum, immunitate Ecclesiastica, & archivio Episcopali, decreta fuerunt, denuò mandamus ac volumus; hoc tantum addentes, ut ad archivium nostrum Episcopale, præter redditus, etiam authenticæ copiæ foundationum omnium beneficiorum transmittantur.

DECRETVM XXXV.

Quoniam verò inter cætera, quæ ad mores & vitæ Ecclesiasticæ honestatem pertinent, non postremum est, quod certo habitu distincti, & à sæcularibus negotiis abstracti, sobrie, pie, ac iuste vivant Clerici; ob abusus hac in parte à Nobis observatos, serio inculcamus & monemus, ac sub censuris Ecclesiasticis, aliisque pœnis arbitrariis, præcipimus ac mandamus, ut omnes Clerici & Sacerdotes Diocesis Nostræ, in Ecclesia quidem, non alia, quam veste talari, utantur, foris autem ut minimum ultra genua aut ad furas defluentem tunicam, pallium verò oblongum ad talos gestent, idque præcipuè in Civitate, nisi peregrinatione excusentur.

Sæcularia verò negotia ita devitent, ut sine expressâ Nostrâ licentiâ nemo Tabellionis, Procuratoris, aut Advocati, nedum Medici officium, (nisi pro Ecclesia sua, aut miserabilibus personis, & quidem cum Nostra aut Vicarii Nostrî licentiâ,) exerceat. qui secus fecerit, loco moveatur.

Popinas frequentare, aut in privatis etiam ac perviis domibus, potui vini, cerevisiæ aut tabaci indulgere, tam est à statu Ecclesiasticorum alienum, quam ipsis, utique in sortem Dei vocatis, magis convenit, sobriè ac iuste vivere. Vnde, sicut sacri Canones huiusmodi helluones, & tabernas frequentantes, excepto casu necessitatis, gravissimis pœnis mulctant; ita sciant, quod, deprehensi, non evaduri sint.

Monemus insuper singulariter, ut, quantum fieri potest, convivia publica, præsertim nuptialia, baptismalia & similia declinent; aut, si aliquando in conviviis propinquorum ipsis comparandum sit, memores sint honestatis & conditionis suæ, ne vitæ dissolutioris indicia præbeant, aut potui, saltui, aliisque Clerum non decentibus, indulgeant; idque sub pœnis, arbitrio Nostro imponendis.

Hortamur potius omnes in Domino, etiam eos qui ex fundatione non tam strictè fortè ad Chorum obligantur, ut, vocationis & Sta-

tus sui memores, tanquam mediatores inter Deum & homines constituti, stipendiis Ecclesiæ vivant, divinis officiis diligenter intersint, per se ipsos sua officia exerceant, & officium Angelicum psallendi in domo Domini, juxta primum Ecclesiæ fervorem & fundationes, indefinenter exerceant, conjunctisque animis & vocibus, tractim & devote, horas Canonicas exsolvant, ac pro suis & populi peccatis ac Ecclesiæ Osnabrugensis incolumitate deprecantur. Si vero in Choro non fuerint, privatim suas Horas diligenter recitent quotidie, nec unquam omittant; scientes, se peccare mortaliter toties, quoties easdem omittunt, & ad restitutionem fructuum Ecclesiasticorum teneri.

DECRETVM XXXVI.

ECclesiarum Custodes officio etiam suo non desint; tempestive suis temporibus in Ecclesiis compareant; munditiam earum observent; quæ ad cultum divinum requisita sunt, quantum ad eos spectat, diligenter procurent; nunquam sub divinis, Sacrificio Misæ, aut aliâ Parocho suo, divina peragenti, sine superpelliceo aut habitu decenti assistant, Ecclesiisve suis inserviant.

DECRETVM XXXVII.

Cum maxime referat, ut pueritia, quæ feeges est omnium Rerumpublicarum, in timore Domini edoceatur; Ludimagistrorum in eo cura erit maxima, ut ipsi inprimis integrâ inculpatâque vitâ juventuti præluceant, eamque non in doctrina modo, sed etiam pietate & orationibus, sedulo & diligenter instruant, ad Catechismum suos adducant, & ut ea, quæ à Parochis in lectione catechetica proposita fuerunt, à singulis observentur & inbibantur, procurent.

DECRETVM XXXVIII.

Regulares omnes in Domino hortamur ac monemus, ut, secundum vocationem suam, regulæque SS. Patrum, digne ambulent, aliisque lucis exemplum præbeant; decreta item summorum Pontificum, præsertim Bullam Gregorii XV, quæ incipit, *Inscrutabili*, diligenter observent, benedictionem & approbationem concionatorum suorum & confessoriorum petant, & sine illa nullum exponant; & decretum Innocentii X, quoad approbationem in singulis Diocesisibus necessariam, observent.

DECRETVM XXXIX.

Quoniam verò hæc mala tempora multis calamitosis hominibus, etiam extraneis,

ac

ac nonnunquam Religiosis, necessitatem mendicandi imponunt, nonnulli autem abutuntur; hinc, ne illis misericordiæ viscera claudantur, horum verò abufibus annuamus, repetimus, quæ in tertia Nostra Synodo, anno millesimo sexcentesimo trigesimo statuimus; volumus præterea, ut personæ hujusmodi extraneæ, non aliter quam sub Nostro, aut sub Vicarii Nostri, intranei verò sub testimonio Parochi, admittantur.

DECRETVM XL.

Cvm jurisdictionis Ecclesiasticæ jugum, adversariorum potentia, aliquibus in locis excussum sit; volumus tamen, inter Catholicos illibatam permanere. Vnde, sub pœnis juris confuetis, serio inhibemus, ne quis Clericus sive Laicus personam Ecclesiasticam, aut Ecclesiæ adscriptam, ad forum sæculare trahere præsumat; imò causæ omnes, ad forum Ecclesiasticum spectantes, non alibi, nec per viam appellationis quidem, tractentur, quam coram magistratu Ecclesiastico Catholico.

Clerici autem & Beneficiati, alique Ecclesiæ ministri, sive convenient alios in causis redituum sui beneficii, sive quocunque modo conveniantur, active & passive coram solo suo iudice Ecclesiastico (ex lege Capitulationis & juris communis) forum sortiantur.

DECRETVM XLI.

Cæterum, ut Decreta hæc firmiter observentur, & in praxin redigantur, teneantur omnes, in visitatione futura, de omnibus & singulis, quantum quemque concernunt, sub pœnis arbitrariis & censuris supra dictis, respondere.

DECRETVM XLII.

Examinatores singulis annis in Diocesanâ Synodo, ab Episcopo vel ejus Vicario, ut minimum sex proponantur, qui Synodo satisfaciant, & ab ea probentur. Advenienteque vacatione cujuslibet Ecclesiæ, tres ex illis Episcopus constituat, qui cum eo examen perficiant; indeque succedente aliâ vacatione, aut eisdem aut alios tres, quos maluerit, ex illis prædictis sex eligat. sint verò hi Examinatores, Magistri seu Doctores, aut Licentiati in Theologia aut Iure Canonico, aut alii Clerici seu Regulares, qui ad id videbuntur magis idonei; jurentque omnes, ad sancta Dei Evangelia, se, quacunque affectione humana postposita, fideliter munus executuros; caveantque, ne quidquam prorsus occasione hujus examinis, nec ante nec post, accipiant; alioquin Simonæ vitium,

tam ipsi, quam alii dantes, incurrant, à quo absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis, quæ quomodocunque etiam ante obtinebant, ac ad alia in posterum inhabiles reddantur; & de his omnibus non solum coram Deo, sed etiam Synodo Provinciali, si opus erit, rationem reddere teneantur; à qua, si quid contra officium eos fecisse compertum fuerit, graviter, ejus arbitrio, puniri possint. Tridentinum ergo Decretum nos volentes exequi pro Diocesi Nostra, proponimus vobis sequentes viros, qui munus hoc gerant, quoad altera Synodus habebitur, præter Vicarios Nostros in Pontificalibus & Spiritualibus generales, & Officialem Curie Nostræ Episcopalis, Dominum Ewaldum Marckium SS. Theologiæ Licentiatum, Conradum Burenium, Cathedralis Ecclesiæ Nostræ Pastorem, & ad sanctum Ioannem Osnaburgi Canonicum, ac Patrem Reinerum Duiſter, SS. Theologiæ Licentiatum, Priorem Dominicanorum.

Interrogabat Illustrissimus proinde Clerum: Placentne vobis?

Respondit Clerus: Placet.

Secretarius mox ex Cathedra legit hæc verba: Accedant ergo omnes & singuli, ut solitum Examinatorum præstent juramentum.

Accesserunt singuli, & juramentum, juxta formulam sequentem, tactis sacrosanctis Evangelii, præstiterunt.

FORMVLA IVRISIVRANDI,

ab Examinatoribus præstiti.

EGO N. N. Examinatoris Officium, quod suscepi, promitto, spondeo, ac juro, me fideliter & sincere, quantum in me est, executurum. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

Præstito per Examinatores juramento, Secretarius continuavit lectionem Decretorum.

DECRETVM XLIII.

Cvm per hæc tempora plures ex Decanis ruralibus & Camerariis vel vitâ functi sint vel aliàs mutati, hinc, in singulis Decanatus, sequentes nominamus & ordinamus.

In Decanatu Civitatis Nostræ, Conradum Burenium, Pastorem in Ecclesia Nostra Cathedrali.

Ad Widenbrugenſem, Christophorum Strengerum, SS. Theologiæ & Medicinæ Doctorem, & Collegiæ Nostræ, Ecclesiæ ibidem Decanum.

Ad Iburgensem, D. Iacobum Torwarth, Abbatem Iburgensem, & Pastorem in Glaen.

Ad Furſtenauensem, Ioannem Ioannis, Pastorem in Batbergen.

Ad Vordenſem & Witlacensem, quos conjunctos, ex rationabilibus causis, pro hac

hac vice, volumus, Engelbertum Moseler, Pastorem Vordensem.

Ad Gronebergensem, Hermannum Hoffhaus, Pastorem in Welinckholthausen.

Ad primarium Emslandiæ Decanatum, Albertum Abbt, Pastorem in Steinebiel.

Ad secundarium, Fratrem Albertum Albachten, Pastorem in Meppen.

Ad Wildeshufanum, Ioannem Stockman, Pastorem Vechtensem.

Ad Cloppenburgensem, Gerardum Coverters, Pastorem ibidem.

Ad Tecklenburgensem & Ravenspergensem, ex causis, hac vice nullum nominamus.

His omnibus, ut præfertur, palam ad Officium Decanale denominatis, Synodi Secretarius iussit omnes accedere, ac iuramentum Decanorum ruralem præstare. Mox singuli accesserunt ad Illustrissimum, & bini solitum iuramentum emisserunt, in verba Synodo v expressa.

Præstito per Decanos rurales præfato iuramento, Secretarius Synodi continuavit lectionem Decretorum.

DECRETVM XLIV.

IN Decanatu Civitatis Nostræ Osnabrugensis, Camerarium constituimus & nominamus, Ioannem Victorem Wernecking, Pastorem ad S. Ioannem.

In Widenbrugenfi, Ioannem Sprengerum, Pastorem in Gutterflo, & Canonicum Collegiæ Widenbrugenfi.

In Iburgensi, Theodorum Mauriti, Pastorem in Hagen.

In Furstenaufenfi, Fratrem Ioannem Weninck, Pastorem in Berfenbruck.

In Vordenfi & Witlacenfi, Ioannem Busch, Pastorem in Ostercapelen.

In Gronenbergenfi, Gerardum Schutte, Pastorem in Gfemel.

In primario Emslandiæ Decanatu, Everhardum Ioannis, Pastorem in Bockeloe.

In secundario Emslandiæ Decanatu, Ioannem Wesseling, Pastorem in Haren.

In Wildeshufano, Ioannem Wafferman.

In Cloppenburgenfi, Ioannem Brand, Pastorem in Essen.

Vi primum prædicti Camerarii ad Officium Camerariorum deputati & publicati fuerunt, Secretarius Synodi eosdem sic allocutus est:

Accedant omnes & singuli, ad Camerarium Officium in hac Synodo deputati, & præstent iuramentum Camerariorum.

Mox accesserunt Camerariis designati omnes, & idem iuramentum, à Decanis præstitum, mutato officio Decanatus in officium Camerarii, ad manus Illustrissimi, tactis eisdem SS. Evangelis, emisserunt.

Emisso per Camerarios dicto iuramento, Secretarius Synodi continuavit lectionem Decretorum.

DECRETVM XLV.

CVM etiam Concilium Tridentinum & Statuta metropolitana constituent, nec non consuetudo hujus Ecclesiæ sit, ut etiam Iudices causarum Apostolicarum in Synodis constituentur; sequentes publicamus:

D. Ioannem à Leeradt, Cathedralis Ecclesiæ Nostræ Osnabrugensis Præpositum.

D. Ioannem Wilhelmum à Winckelhausen, eiusdem Ecclesiæ Decanum.

D. Ioannem Biskopinck, Curiæ Nostræ Episcopalis Osnabrugensis Officium, & Canonicum ad sanctum Ioannem.

D. Rabanum Heisterman, Collegiæ Ecclesiæ Osnabrugensis ad S. Ioannem Decanum.

Dominum Bernardum Matthiæ à Campo, SS. Theologiæ Doctorem & Canonicum ad S. Ioannem.

Placentne vobis? *Respondit Clerus:* Placent.

DECRETVM XLVI.

CEnforem librorum volumus in posterum & nominamus D. Ewaldum Marckium, SS. Theologiæ Licentiatum. Placentne vobis? *Respondit Clerus:* Placet.

DECRETVM XLVII.

IN Pœnitentiarium Episcopalem publicum, in Nostra Cathedrali Osnabrugensi Ecclesia, constituimus & deputamus, Fratrem Reinerum Duister, Conventus Ordinis S. Domini in Civitate Nostra Osnabrugensi Priorem. Placentne vobis? *Respondit Clerus:* Placet.

Omnibus igitur, ut præfertur, divinâ gratiâ cooperante, ad maiorem Dei honorem & Ecclesiasticæ discipline reformationem peractis, Promotores Synodi instruxerunt pro conclusione Synodi, ut sequitur.

Reverendissime atque Illustrissime Princeps; cum omnia, quæ in hac Diocesana Synodo Osnabrugensi agenda & tractanda erant, divina auxiliante gratiâ ad optatum finem producta sint; illud à Reverendissima & Illustrissima Clementia Vestra petimus, ego Iodocus à Ledebur, & Bernardus Matthiæ à Campo, hujus Synodi Promotores, ut ipsam Synodum concludere & cum benedictione dimittere velit.

Respondit Illustrissimus: Decernimus & mandamus, hanc Synodum Nostram concludendam.

Hoc dicto, Secretarius legit Decretum de conclusione Synodi, ut sequitur.

Synodi Nostræ Diocesanae Osnabrugensis, Deo adjutore, optatum videmus finem. quapropter eam, cum gratiarum Deo actione, concludendam esse, decernimus, & conclusionem enunciamus.

Pro-

pag. 215.
col. I.

Promotor secundus, iterum ut heri, institit contra contumaces.

Illustrissimus, accusatâ à Promotoribus absentium contumaciâ, modico spatio peroravit ad Clerum, eundemque præteritarum correctionum & admonitionum commonefecit, & per amorem Dei rogavit ac obrestatus est, quatenus onus, humeris eiusque impositum, ita portent, ut severam, in decretorio illo iudicii die, Deo inde rationem reddere possint.

Hæc omnia dum feliciter expedita fuerunt, professionaliter omnes descendebant ex domo Capitulari ad Ecclesiam, per ambitum Crucis; pulsata campanæ omnes Cathedralis Ecclesiæ; Clerus cantavit Psalmum, Benedicite omnia opera Domini; item, Laudate Dominum de cælis; donec, Chorum ingressi, loca sua denuo, ut antiè, occuparunt.

Illustrissimus perrexit ad altare summum; in Choro incepit hymnum, Te Deum laudamus; cessarunt campanæ; & hymno finito, idem Illustrissimus subjunxit orationem, Nulla est, Domine, humanæ conscientiæ virtus, ut in Pontificali.

Diaconus Synodalis, absolutâ prædictâ oratione, cantavit, Orate. postmodum habitæ Orationes mentales.

CAPITA ORATIONIS
MENTALIS

in fine ultimæ Sessionis.

I ORATIO.

DIACONVS. Fratres charissimi: orate toto cordis affectu, pro Imperatore nostro Ferdinando, ut cum pace & salute munus suum exequatur, recta semper unanimis sentiat & operetur, Ecclesiæ se defensorem præstet, & vitam mereatur æternam. (Pausa.)

II ORATIO.

Fratres charissimi: unanimes orate, ut Deus spiritum religiosæ observantiæ det omnibus viris Regularibus hujus Diocesis, ad salutem & ædificationem populorum, omnibus item Monialibus ad salutem suam & aliorum. (Pausa.)

III ORATIO.

Fratres charissimi: unanimes orate pro cunctis populis hujus Diocesis, ut Deus conferret augetque fidem Catholicam, peccata eliminat, devotionem multiplicet; concedat abundantiam fructuum terræ, ac eorum felicitatem. (Pausa.)

Post hæc continuo per eundem Diaconum, stantem, factæ sunt acclamationes sub formula sequenti, stantibus quoque omnibus, & Illustrissimo facie ad Clerum versâ. Cui Diacono accuratissime respondit Clerus, ut sequitur.

ACCLAMATIONES

in fine Synodi.

DIACONVS. Deo Patri misericordiarum, & Deo totius consolationis & gratiæ, omnis laus, honor, & gloria, in sæcula sæculorum. (terminatur per FA, RE.)

Resp. CLERVS. Amen, amen, amen. (terminatur similiter per FA, RE.)

DIACONVS. Beatissimo Domino nostro INNOCENTIO Papæ X, sanctæ & universalis Ecclesiæ Pontifici, Christiani nominis in omnes terrarum partes propagatio, cunctarum gentium obedientia, pax vera & diuturna prosperitas.

CLERVS. Domine Deus, sanctissimum Patrem nostrum Ecclesiæ tuæ conserva, mitte illi auxilium de sancto, ut, eo gubernante, gentes illuminentur, & quæ dispersæ sunt, in unum Ecclesiæ tuæ ovile colligantur.

DIACONVS. Reverendissimo Domino nostro, hujus Synodi præfuli, ejusque ministris, salutaris vigilantia in laboribus, constantia & felix exitus.

CLERVS. Omnipotens sempiterne Deus, super Antifistitem nostrum, benedictionum tuarum dona perpetuò multiplica, ut sacris convenienter interserviat mysteriis, atque in omnibus misericordia tua protegat, quem Pastoralis cura perterret.

DIACONVS. Oremus pro omnibus Presbyteris, Diaconis & Subdiaconis, Acoluthis, Exorcistis, Lectoribus, Ostiariis, & Clericis, atque pro omnibus qui in hanc Synodum convenerunt.

CLERVS. Memento, Domine Deus, congregationis tuæ, quam possedisti ab initio; ut, gratiæ tuæ munere, ab omnibus tibi gradibus fideliter serviat.

DIACONVS. Electo Imperatori nostro, Catholicæ religionis zelus, justitiæ & pacis fecunditas, & contra Christianæ fidei hostes, victoria.

CLERVS. Omnipotens Deus, concede, ut famulus tuus, Imperator noster, qui tua miseratione suscepit Imperii gubernacula, virtutum etiam omnium percipiat incrementa; quibus decenter ornatus, & vitiorum monstra devitare, & ad te, qui via, veritas, & vita es, gratiosus valeat pervenire.

DIACONVS. Electori nostro, & omnibus Principibus, unitas, pax, populorum obedientia, & vita longæva.

CLERVS. Princeps cælestis, terrenos Principes nostros, Catholicæ fidei, æquitatis & concordæ conservatores, defende, atque hostium nostrorum exanimatores effice, & in perpetuum custodi.

DIACONVS. Civitati & Diocesi Osna-brugensi, omnibusque plebibus, nobis comm-

Dd missis,

missis, tranquillitas, salus, & divinarum gratiarum abundantia.

CLERVS. Domine Deus, respice ad animas, diabolica fraude deceptas, ut errantium corda resipiscant, & ad veritatis tuæ redeant unitatem. Benedic etiam, Domine, filios tuos; & esto in circuitu populi tui, ex hoc nunc & usque in sæculum.

DIACONVS. Decretorum hujus Diocesis Osnabrugensis observantiam salutarem, omnes, qui hic adsumus, unanimi voto, à Deo, bonorum omnium largitore, humiliter imploremus; intercedente Deiparâ Mariâ, Dominâ nostrâ, cum sanctis Apostolis Petro & Paulo, atque beatis Patronis nostris Crispino & Crispiniano, & omnibus Sanctis.

CLERVS. Fiat, fiat. Amen, amen.

DIACONVS. FRANCISCO GVILLIELMO, Antifisti amplissimo, Pastori vigilantissimo, Ecclesiasticæ disciplinæ assertori, perennes gratias.

CLERVS. Perennes gratias; incolumem saluumque illum Dominus nobis diutissime custodiat atque conservet.

DIACONVS. Totius Synodi Clero atque conventui, pacem, concordiam, & gratiam à Domino.

CLERVS. Pacem, concordiam, & gratiam, nobis semper Dominus concedat. Amen, amen.

In fine, duo de Clero cantarunt: Benedicamus Domino.

Omnes responderunt: Deo gratias, Deo gratias, semper dicamus Deo gratias.

Finitis acclamationibus, Illustrissimus, confidens in faldistorio ante altare, exceptis ad osculum pacis, primo ministris, in paramentis sacris sibi assistentes; deinde Præpositum Cathedralis Ecclesiæ, Decanum, & reliquos Capitulares omnes; post hos, Dominum Abbatem Iburgensem, Capitulum sancti Joannis, Deputatos Monasteriorum, Decanos rurales; qui illud inter sui Decanatus Parochos distribuerunt; Pavem Priorem in Osterberg, Priorem Dominicanorum, Guardianos Franciscanorum strictioris Observantiæ, in Widenbrugg, Rittberg, & Vechta; qui eam ad Religiosos suos singuli detulerunt.

Posteaquam inter omnes pacis osculum distributum fuit, Secretarius, in Choro ante cancellos subsistens, legit in hæc verba:

D E C R E T V M

De dimissione Synodi, & Indictione proxime.

Ad laudem Dei omnipotentis, Beatissimæ Virginis Mariæ, & SS. Crispini & Crispiniani Martyrum, & aliorum Patronorum

nostrorum, decernimus, Synodum hanc Nostram dimissam, ac propterea cuique eundem esse ad proprias Ecclesias. Hortamur autem omnes vos, fratres charissimi, ut tales vos præbeatis in ministerio vestro, quales maxime decet Sacerdotem, ab omni mundanorum cura segregatum. Illudque maxime, cum redieritis, præstandum erit, ut populus omnis, vos ab hac Synodo non mediocrem fructum reportasse, intelligat. Id fiet, si novo Spiritus sancti lumine illustrati, quæ magna Synodorum est vis & virtus, cæteris, in omni opere vestro, in posterum præluere studueritis, & in omni parte officii vestri, omnem diligentiam adhibueritis. Proximam verò Synodum denuo celebrandam indicimus die tertiâ mensis Octobris, hujus anni millesimi sexcentissimi quinquagesimi primi. ad quam omnes & singuli diligenter comparebunt.

Lectio hoc Decreto, Illustrissimus benedixit Clero genuflexo, & populo; solemniter publicatæ sunt Indulgentiæ per Presbyterum assistentem; ac, pro fine Synodi, Diaconus cantavit: Recedamus in pace.

Respondit Clerus: In nomine Christi.

His igitur feliciter peractis, deposuit Illustrissima sua Celsitudo, cum reliquis qui induti erant, paramenta; & factâ oratione modico spatio ante altare cum Cappa, rediit ad fores Ecclesiæ per Canonicos Cathedrales, resonantibus interim Organo & campanis Ecclesiæ Cathedralis.

Et quia ego Joannes Brogberni I. V. L. & Collegiæ Ecclesiæ SS. Joannis Baptistæ & Evangelistæ Ratisbonæ Canonicus, & Pastor in Rumlœ, à supra memorato Reverendissimo & Illustrissimo Domino Præfide, in Actuarius hujus sacræ Synodi deputatus fui, Decretorum Synodaliū promulgationi, reliquisque in eâ pertractatis, interfui; idcirco eisdem Decretis, in fidem eorundem, propria manu subscripsi. Acta sunt hæc, anno, à partu Virgineo, MDCCLI; Pontificatus sanctissimi Domini nostri INNOCENTII X, sexto; diebus, mensē, loco, quibus supra; præsentibus Venerabilibus ac Eruditis Dominis, Antonio Sollinger, & Nicolao Schaberg, Cathedralis Ecclesiæ Osnabrugensis Vicariis, ac respective Sacristano & Notario publico, testibus, ad hoc specialiter requisitis, & fide dignis.

IOANNES BROGBERNI I. V. L.
Capellanus major Illustrissimi Osnabrugensis, & Actuarius causarum Ecclesiasticarum, ad hoc specialiter deputatus, subscripsit.